EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO DD.

HIERONYMO GRIMALDO

S. R. E. CARDINALI,

Aquarumſextiarum Archiepiſcopo, Mecœnati meo.

Spectatum ſatis & donatum jam rude, quæris
Mecænas iterum antiquo me includere ludo.

SATIS ſuperque Tuæ Eminentiæ auſpiciis in arenam prodiiſſe, atque inter Athletas decertaſſe viſus fueram duorum editione Operum, Notitia Conciliorum, Notitiaque & praxi Canonici Juris; quibus peractis receptui canere, deincepſque quieta miſſione perfrui nihil jam meo jure videbar; cum mihi nihil tale cogitanti nova tua juſſio acceſſit præſens iſtud Opus concinnandi, & denuo in arena ex qua diſceſſeram periclitandi, novumque cudendi volumen, quo uberior & plenior ſcientiæ Eccleſiaſticæ peritia ſuppeditaretur. Atque ita poſt exhibita quaſi ludicra & velitationes, tota demum & decretoria decernerem acie. Univerſæ ſane Eccleſiæ perſpecta eſt illa tua vere Paſtoralis ſollicitudo, major omni præconio, Clericos informandi tum ſanctitate morum, tum rerum Eccleſiaſticarum peritia. Idipſum omnibus prædicant Tua illa ſanctiſſima inſtituta, & leges religioſiſſimæ, quibus ad perfectionis culmen niteris ſubjectos Tibi Clericos provehere. Id palam enunciat ampliſſimum illud Aquenſe Seminarium tuis ſumptibus a fundamentis erectum, magnificeque dotatum, ex quo velut ex Academia ſacræ Scientiæ & virtutum omnium officina, quotidie prodire cernimus inſtructiſſimos Clericos, conſummatoſque ac indefeſſos Operarios, qui vineam Domini, quæ Eccleſia eſt, excolunt; ex eaque vitiorum ſtirpes evellunt, ſummaque ſedulitate ad virtutum Chriſtianarum fructus copioſos ac proventus uberes adducunt. Ad hæc vero emolumenta exiſtimaſti nonnihil præſidii conferre poſſe injunctum mihi abs Te munus colligendi ex Conciliis, quotquot eſſent, præcipuæ utilitatis Canones, eoſque invicem conferendi, eorumque ſenſum ubi opus eſſet explicandi: hiſque adjungendi ad ſingula ſæcula brevem & expeditam Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrationem, recenſione Scriptorum illuſtrium, quos Deus in progreſſu temporum Eccleſiæ ſuæ providit, intextam.

Deus quidem providens ne Sacerdotium vileſceret, pleroſque corporeos & naturales defectus in veteri Lege obſervari voluit, quibus qui affecti eſſent, a ſacri Sacerdotii dignitate prorſus excluderentur, quales in Levitici libro permultos legimus. In Lege pariter Evangelica permulti hujuſmodi defectus, ſub nomine *Irregularitatum*, homines a myſtico Sacerdotio aliiſque Sacris Ordinibus arcent. Sed multo major apud Deum, ejuſque Eccleſiam ratio ſemper habita fuit vitiorum animi, ne his laborantes ad ſacra Miniſteria prorſus admitterentur. Cumque duæ ſint animæ facultates, quæ vivam Creatoris Dei referunt imaginem,

noſque